



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Balbina V. 31. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

habuit, quæ singulæ singulorum Martyrum nomina in schedâ ferebant descripta. His ille auspiciis fretus bellum omni superstitioni indixit, templa passim Deorum evertit, Deo posuit. Cùm ex humano hospicio Stygis incolam exigeret, voluit hic in mulum REGVLÆ migrare. At quò virtutem crucis vel ab hoc magistro docerentur nostri hæretici, mulus pede priore in pulvere crucem scripsit, itaque longè hostem proscrispsit. Divus verò, qui aditum hunc orco negavit, exitum è carceribus Christianis facilè indulgit. Nam cùm permulti inter vincula agerent, REGVLVS scipione clavis vicem usus, ostium pulsavit, aperuit, vinctos omnes dimisit; cumque urbi Præfectus unam pro omnibus vicariam victimam REGVLVM morti destinasset, in somnis Dionysius adfuit, mortemque, quam REGVLO parabat, ipsi iudici intentavit. Illud simul lepidum, simul mirandum. Ad concionem dicebat; sed dicentem garrula animalia ranæ sæpè sæpius interpellabant. Imperavit REGVLVS silentiam immorigeris, & ecce continuò tacitæ audiverunt declamantem. Dixisses tunc illas in homines iterum, hodie verò homines in ranas iterum abiisse.

Ex Petro de Nat.

*Si amor Dei tenere te non potest, saltem teneat
& arceat timor Iudicii, metus gehenna, laqueus
mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis corrodens,
sulphur sætens, tartarica & omnia mala. S. Ber. de
Int. dom. c. 63.*

S. BALBINA V. 31. Martij.

PVellis aliis sponsum forma, BALBINÆ deformitas conciliavit. Id in hunc modum accidit. Admiraculum primò formosa fuit, obque id parenti Quirino Tribuno unicè chara. Sed quia hinc
Alexan-

Alexandrum Pont. itemque Hermetem Praefectum ob fidem in vinculis habebat, Numen vindicare impietatem patris in filia (oculo parentis) statuit, colloque virginis ingens onus, & quod omnem pulchritudinem extingueret, strumam appendit. Cum hac dote cum nulli jam placeret BALBINAM ducere, & parens desperandum sibi de nuptijs filiae videret, Alexandrum in vinculis accessit, promisitque, si strumam filiae collo pelleret, superstitionem se cum hac animo pulsurum. Facile utrimque convenit. Vix admovit Alexander filiae vincula sua, quae Quirinus injecerat, cum illa strumam, uterque superstitionem posuit. Itaque jam nuptiae splendide parabantur. Sed puer elegantissimus adstitit virgini, face armatus. Is sive Amor sive Hymeneus sanctior facile melioris Sponsi amore accendit, IESVQUE ut nuberet, induxit. Interea creberrima oscula salutis auctoribus vinculis Alexandri fixit. Idem praestitit monita ab Alexandro D. Petri vinculis. Mortui deinde pro Christo & Alexander & pater; virgo longius supervixit, utriusque heres virtutis. Ex Ferrario.

Sit suavis & dulcis affectui tuo Dominus IESVS contra male utriusque dulces vite carnalis illecebras, & vincat dulcedo dulcedinem quemadmodum clavus clavum expellit. Sit etiam fortis & constans amor tuus, nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus. S. Bern. serm. 20. in Cant.